

**LIBER SECUNDUS**

**DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM.**

# TRACTATUS PRIMUS

## DE PRAECEPTO FIDEI

### CAPUT I.

#### Quae mysteria Fidei necessario credenda sint.

1. *Quae mysteria credenda necessitate medii.* — 2. *An mysteria Trinitatis et Incarnationis sint credenda explicitè.* — 3. *Quae ex praecepto scienda, et an memoriter.* — 4. *Quale sit objectum fidei materiale, et quale formale.*

Necessitas medii et praecepti.

1. — « Ex iis quae fideles explicitè credere tenentur, quaedam necessario credenda sunt necessitate medii, seu finis; sine quibus, etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus obtineri nequit: alia, necessitate praecepti; sine quibus, inculpabiliter omissis, finis potest obtineri. — Sanchez<sup>1</sup>, Azor, Valentia.

Credenda necessitate medii.

« Resp. I. *Necessitate medii* necessaria sunt haec duo: 1°. Explicitè credere Deum esse, et remuneratorem bonorum esse; juxta illud Apostoli ad Hebr. xi, 6: *Credere oportet.* Tridentinum<sup>2</sup>. — 2°. Post sufficientem Evangelii promulgationem, credere explicitè, ut vult Molina<sup>a)</sup>; aut saltem implicitè, ut probabiliter quidam docent cum Coninck<sup>b)</sup> et Laymann: Christum et SS. Trinitatem. Vide Escobar<sup>3</sup>, ubi ex Vasquez<sup>4</sup> docet culpabilem ignorantiam horum mysteriorum, sive negligentiam ea discendi, esse grave peccatum, distinctum ab eo cujus est causa. Vide Diana<sup>5</sup> ».

Definitur fides.

FIDES definitur: *Est virtus theologica, a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter*

*assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus quae Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit.* — Dicitur 1°. *Virtus theologica*, id est quae Deum respicit; fides enim, prout etiam spes et caritas, Deum directe spectat, ad differentiam virtutum moralium, quae indirecte eum respiciunt. 2°. *A Deo infusa*; quia fides est donum supernaturale divinum. 3°. *Inclinans nos ad firmiter credendum*; nam assensus fidei nequit cum formidine consistere, prout perperam dicebatur in propositione 21 ab Innocentio XI proscripta, sed omnino firmus esse debet. 4°. *Ob divinam veracitatem.* Veritas enim infallibilis (quae est ipse Deus) est formale objectum fidei. 5°. *Omnibus quae Deus revelavit*; omnia enim a Deo revelata sunt objectum fidei materiale. 6°. *Et per Ecclesiam nobis credenda proposuit*; nam divina revelatio nobis non patefit, nisi per Ecclesiam, quae revelationes proponit; cum sit aliunde evidens, propter signa credibilitatis (qualia sunt prophetiae, miracula, constantia Martyrum, et similia)

<sup>1</sup> Decal., lib. 2, cap. 2, n. 1. — Azor, part. 1, lib. 8, cap. 6 et 7. — Valent., in 2<sup>ae</sup> 2<sup>ae</sup>, disp. 1, qu. 2, punct. 2; cfr. punct. 3 et seqq. — <sup>2</sup> Sess. 6, Decret. de Justific.,

cap. 8. — Laym., lib. 2, tr. 1, cap. 8, n. 5. — <sup>3</sup> Prooem., exam. 2, cap. 6, n. 20. — <sup>4</sup> In 1<sup>ae</sup> 2<sup>ae</sup>, disp. 119, cap. 3, n. 6. — <sup>5</sup> Part. 3, tr. 5, resol. 46.

1. — <sup>a)</sup> Molina, in 1 part. D. Thom., qu. 1, art. 1, disp. 2, de fide explicita Christi loquitur.

<sup>b)</sup> Coninck, de Fide, disp. 14, dub. 9, n. 163, negat necessarium esse necessitate medii, « ut quis explicitè credat mysterium Incarnationis,

sive secundam personam fuisse incarnatam, et Christum fuisse verum Deum et hominem, et pro nobis in cruce mortuum ac resurrexisse: atque adeo sufficere ut haec implicitè credat, credendo explicitè eum esse mediatorem et Salvatorem nostrum ».

quod Ecclesia nec falli nec fallere potest. Praeterquam quod S. Augustinus illud celebre dictum protulit: *Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.*

2. - Quaeritur: *an mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, post promulgationem Evangelii, credenda sint fide explicita de necessitate medii vel praecepti?*

Prima sententia, quae est communior et videtur probabilior, docet credenda esse de necessitate medii<sup>a)</sup>. Ita tenent Sanchez<sup>1</sup>, Valentia<sup>2</sup>, Molina<sup>b)</sup>, Continuator Tournely<sup>3</sup>, Juenin<sup>4</sup>, Antoine<sup>5</sup>, Wigandt<sup>6</sup>, Concina<sup>7</sup> cum Ledesma, Serra<sup>c)</sup>, Prado, etc.; item Salmant.<sup>8</sup>, Cuniliati<sup>9</sup> et Roncaglia<sup>10</sup>. Sed postremi hi tres<sup>d)</sup> dicunt, quod per accidens et casu raro posset quis justificari fide tantum implicita. — Id probant ex Scripturis, quibus ajunt clare probari necessitatem medii. Probant etiam ratione: quia, licet ante promulgationem Evangelii sufficiebat fides implicita Christi, post tamen promulgationem, eo quod status gratiae est perfectior, perfectior requiritur notitia, nempe explicita fides Christi et Trinitatis.

Secunda vero sententia, satis etiam probabilis, dicit, necessitate praecepti omnes

S. Aug., lib. contra epist. Manichaei, cap. 5; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 42, col. 176. — <sup>1</sup> Decal., lib. 2, cap. 2, n. 8 et 10. — <sup>2</sup> In 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, disp. 1, qu. 2, punct. 4, assert. 3; et punct. 5, assert. 2. — <sup>3</sup> De Decal., cap. 1, art. 1, sect. 2, punct. 1, § 2, concl. 1. — <sup>4</sup> Instit. theol., part. 7, diss. 4, qu. 1, cap. 6, art. 3, § 1, concl. 2, sub III et IV. — <sup>5</sup> De Virtut. theol., part. 1, cap. 1, qu. 2, resp. 2 et 3. — <sup>6</sup> Tr. 7, exam. 2, qu. 3, n. 32, resp. 2. — <sup>7</sup> In Decal., de Fide, diss. 1, cap. 8, n. 12. — <sup>8</sup> Petr. Ledesma, Theol. mor. (in 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup> D. Thom.), de Fide, cap. 2, concl. 3 et 4. — <sup>9</sup> Prado, Theol. mor., cap. 7, qu. 4, § 3, n. 13; et § 7, n. 41 et 42. — <sup>10</sup> Tr. 21, de Praec. Decal., cap. 2, n. 15 et seqq. — <sup>11</sup> Tr. 4, cap. 1, § 2, n. 2. — <sup>12</sup> Tr. 6, de Fide, etc., qu. 1, cap. 2, qu. 3, resp. 2

2. - <sup>a)</sup> Et huic sententiae favet responsum Cong. S. Officii. Ad dubium enim utrum adultus, qui in mortis articulo versaretur; quique promitteret fore ut, post recuperatam sanitatem, fidei veritates addisceret, baptizari posset, respondit die 3 Maji 1703: « Non sufficere promissionem; sed missionarium teneri adulto, etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecepta mysteria Trinitatis et Incarnationis ». Ap. Bened. XIV, Instruct. Postremo mense, 28 Febr. 1747, n. 41.

<sup>b)</sup> Uti notatum est num. praeced., nota a, Molina de Christi fide loquitur.

<sup>c)</sup> Serra, quidquid dicat Concina, haec scri-

teneri haec mysteria explicita credere; necessitate autem medii, sufficere, si credantur implicite. — Ita Dominicus Soto<sup>11</sup>, ubi ait: *Quamvis praeceptum fidei explicitae* (scilicet Trinitatis<sup>e)</sup> et Incarnationis) *absolute obliget universum mundum; nihilominus possunt multi ignorantia invincibili ab eadem obligatione excusari.*

Franciscus Silvius<sup>12</sup> scribit: *Post promulgatum sufficienter Evangelium, fides incarnationis explicita est omnibus ad salutem necessaria necessitate praecepti, ac etiam (ut probabile est) necessitate medii.* Et in sequenti conclusione, idem profert de mysterio Trinitatis. Cardinalis Gotti<sup>13</sup> ait: *Dico 1<sup>o</sup>. Sententia negans fidem explicitam Christi et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine ea nemo justificari aut salvari queat, valde probabilis est.* Et asserit<sup>f)</sup>, Scotum hanc tenere sententiam. Eusebius Amort, recens scriptor et valde doctus<sup>14</sup>, absolute eandem sententiam tuetur. Elbel<sup>15</sup> scribit, hodie hanc sententiam teneri ab insignibus DD., Castropalao<sup>16</sup>, Viva<sup>17</sup>, Sporer<sup>18</sup>, Laymann<sup>19</sup>, qui dicit, hanc non esse minus probabilem, quam primam, cum Richardo, Medina, Vega, Sa et Turriano. — Cardinalis de Lugo<sup>20</sup> vocat primam speculative probabilem<sup>g)</sup>,

et 3. — <sup>11</sup> In 4 sent., dist. 5, quaest. unic., art. 2, post med., concl. 2. — <sup>12</sup> In 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, qu. 2, art. 7 et 8, concl. 6. — <sup>13</sup> Tr. 9, de Fide theol., qu. 2, dub. 4, § 1, n. 2. <sup>14</sup> Theol. eclect., de Virtut., part. 2, de Fide, disp. 3, qu. 17. — <sup>15</sup> De Fide, confer. 1, n. 17. — <sup>16</sup> Tr. 4, disp. 1, punct. 9, n. 7. — <sup>17</sup> In propos. 64 damn. ab Innoc. XI, n. 10. — <sup>18</sup> Tr. 2, cap. 2, n. 9. — <sup>19</sup> Lib. 2, tr. 1, cap. 8, n. 5. — <sup>20</sup> Richard. de Mediavil., in 3, dist. 25, art. 4, qu. 1. — <sup>21</sup> Michael Medina, de Recta in Deum fide, lib. 4, cap. 10. Cfr. Barthol. de Medina, Summa, lib. 1, cap. 14, § 2, v. *La sesta, opin. 3.* — <sup>22</sup> Andreas Vega, de Justificat., lib. 6, cap. 19. — <sup>23</sup> Sa, v. *Fides*, n. 1. — <sup>24</sup> Turrian., in 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, disp. 27, dub. 4 et 8. — <sup>25</sup> De Virt. Fidei div., disp. 12, n. 90, 91 et 105.

bit, in 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, qu. 2, art. 7, vers. *Dicendum est 2<sup>o</sup>*: « Etiam nunc post Christi adventum et sufficientem publicationem Evangelii posse aliquos salvari, et tam primam quam secundam salutem consequi absque fide Christi explicita ». Idemque iterum dicit de Trinitatis fide, sub 3<sup>o</sup> in probat.

<sup>d)</sup> Quibus etiam annumerandus est Prado, loc. cit., § 3.

<sup>e)</sup> Sotus de fide Incarnationis hic loquitur.

<sup>f)</sup> Ita sane Gotti, loc. cit., n. 1; sed fatendum est Scotum, in 3, dist. 25, qu. 1, n. 6 et seqq., obscurissime de hac sententia loqui.

<sup>g)</sup> Seu rectius: Lugo n. 90, vocat primam sententiam satis communem.

Probabiliter necessitate praecepti tantum.

sed hanc secundam absolute et fuse ut probabilior tuetur, cum Javello<sup>h)</sup>, Zumel et Suarez<sup>i)</sup>; scribitque de Lugo, eandem sententiam videri esse S. Thomae<sup>2</sup>, ubi S. Doctor ait: *Ante baptismum, Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes, per fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicita.* Unde arguit Lugo: sicut Cornelius gratiam est consecutus per fidem implicitam, quia nondum in illa regione Evangelium perfecte promulgatum fuerat: ita pariter consequi poterit ille, qui mysteria haec invincibiliter ignorat; ipsi enim pariter non satis Evangelium est promulgatum.

Dicunt autem repugnare bonitati et providentiae divinae, ut damnet adultos invincibiliter ignorantes, qui juxta lumen naturae honeste vivunt; dum contra (Actor. x, 35) habetur: *In omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi?* — Respondent vero quod omnes Scripturae et SS. Patrum testimonia quae opponuntur, de facili explicari possunt de necessitate praecepti: vel quia ordinarie nullus fere salvatur sine fide explicita horum mysteriorum, quia post Evangelii promulgationem fere nullus de his laborat invincibiliter ignorantia; vel quia, ait Lugo, explicari possunt de fide implicita, sive explicita in voto. — Praeterea, ait Lay-

Zumel, in 1<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, qu. 89, art. 6, disp. 4, Dico 3. — <sup>1</sup> De Fide, disp. 12, sect. 4, n. 10 et seqq., et n. 25. — <sup>2</sup> Lugo, loc. cit., n. 91, i. f. — <sup>3</sup> P., qu. 69, art. 4, ad 2. — <sup>4</sup> Lugo, loc. cit., n. 98. — <sup>5</sup> Lugo, de Fide, disp. 12, sect. 4, n. 100. —

<sup>h)</sup> Javelus male citatur a Lugo pro hac sententia; nam ipse oppositam tenet in suo *Compend. philos., Christiana philosophia, part. 2, tr. 1, cap. 1*, ubi dicit: « Post cujus [mysterii Incarnationis] consummationem, indubie tenendum, solum eos qui explicita credunt in Christum Salvatorem, cum articulis symboli solemnizati in Ecclesia catholica, habere divinam fidem sufficientem ad salutem ». Inferius tamen Javelus haec sibi objicit: « Sed dices: supposito quod sola Christi lex et fides medium sit ad salutem, numquid aliquis vivens inter gentes, abstinens se ab idololatria et operibus malis, a quibus ratio dicat abstinendum, nesciens tamen credenda in lege Christi, quoniam forte de illis non intellexit;... potest salvari? » At respondet: ejusmodi homines Deo placere si ita vivant, et voluntatem suam divino beneplacito submittant, parati assentiri iis quae Deus sibi revelaverit.

mann<sup>3</sup>, vir adultus, si esset mutus et surdus a nativitate, quamvis baptizatus, non posset alia sacramenta accipere, si optaret; imo nec salvari: quia hujusmodi homo incredibile est, quod vero conceptu apprehendat et explicita credat mysteria Incarnationis, et praesertim Trinitatis.

Notant autem Tannerus<sup>4</sup>, Silvius<sup>5</sup>, Azor<sup>6)</sup> et Valentia<sup>7)</sup>, cum Gulielmo Parisiensi<sup>8)</sup> apud Sanchez<sup>9</sup>, quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiae, et comparatur infantibus ac fatuis. — Attamen Sanchez<sup>7</sup> dicit, quod aliud est *credere*, aliud *scire* mysteria, nempe rationem de eis reddere. Unde censet, omnes adultos teneri necessitate medii, aliquando hujusmodi mysteria credere, necessitate vero praecepti ea scire; a quo praecepto scientiae excusari mente obtusos; et sic intelligendos ait AA. citatos. Concluditque cum Gabriele, qui dicit: *Sufficeret... eis* (scilicet rudibus), *quod... singulos* [articulos] *explicita credant, dum eis proponuntur.*

Quamvis autem sint damnatae propositiones 64 et 65 ab Innocentio XI, quae dicebant: *Absolutio capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trini-*

<sup>3</sup> Lib. 2, tr. 1, cap. 8, n. 5, v. *Confirmatur*. — <sup>4</sup> Tom. 3, disp. 1, qu. 7, n. 49. — <sup>5</sup> In 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, qu. 2, art. 8, concl. 8, v. *Sequitur postremo*. — <sup>6</sup> Decal., lib. 2, cap. 3, n. 18. — <sup>7</sup> Loc. cit. — <sup>8</sup> Gabr. Biel., in 3, dist. 25, qu. unic., art. 2, concl. 5, v. f.

« Suntque excusabiles (ita prosequitur), donec in credendis christianis articulis per Christum promulgatis, aut per angelum aut per hominem Dei nuntium eruditi fuerint... Quibus tamen perseverantibus, divina Bonitas non deficeret, causando in eis veram et expressam fidem de credendis ».

<sup>i)</sup> Azor, part. 1, lib. 8, cap. 6, quaer. 6: « An si quis (inquit) adeo hebeti et obtuso sit ingenio, ut ipsos articulos secundum substantiam capere nequeat, fidei praecepto satisfaciat, si aliquos clariores articulos explicita credat, reliquos vero quos non assequitur, credat implicite, credens generatim quidquid credit sancta Mater Ecclesia? Respondeo satisfacere; si autem nullum articulum explicita crediderit, ei non sufficit credere implicite et generatim quidquid credit sancta Mater Ecclesia ».

<sup>j)</sup> Valentia, in 2<sup>am</sup> 2<sup>ae</sup>, disp. 1, qu. 2, punct. 4, assert. 2<sup>a</sup>, vers. *Quod si*; et Guliel-

Aliqui excusantur ratione impotentiae.

Aliud est credere, aliud scire.

Trinitas et Incarnatio probabiliter explicite credenda necessitate medii.

tatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi. — Sufficit illa mysteria semel creditisse; dicit tamen Viva cum Marchant, probabiliter non esse necessario repetendas confessiones factas cum ignorantia praedictorum mysteriorum; cum ex praefata opinione jam probabile sit fuisse validas, si ignorantia fuit inculpabilis. Certum enim est, talem ignorantiam, si sit vincibilis, peccatum esse lethale. Praedicta autem propositio merito damnata est, quia dicebat capace esse absolutionis etiam illum, qui tempore confessionis laborat ignorantia praedictorum mysteriorum. — Caeterum opinio Patris Viva mihi non est satis probabilis. Quamvis enim poenitens probabiliter validam confessionem expleverit, ita ut videatur deinde possidere exemptionem ab iteranda confessione, cum prius bona fide confessus fuerit; attamen respectu ad eum qui certo graviter peccavit, semper urget ac possidet antecedenter obligatio explendi confessionem, non tantum probabiliter, sed certo validam. Quapropter, cum ipse adverterit confessionem suam, ob ignorantiam mysteriorum SS. Trinitatis aut Incarnationis Jesu Christi, fuisse probabiliter validam, sed etiam probabiliter nullam; tenetur, postquam de illis mysteriis instructus fuerit, confessionem iterare <sup>h)</sup>.

Viva, in propos. 64 Innoc. XI, num. 10. - Marchant, Hortus pastor., Resolut. pastor. de Sacr. Poenit., cap. 2, qu. 7. — <sup>i)</sup> Lib. 2, tract. 1, cap. 8, num. 1, sub II. - Sanchez,

mus Parisiensis, *tr. de Fide, cap. 2, v. f.*, de credendis ex necessitate praeepti hoc asserunt; sicut etiam Gabriel Biel, *loc. infra cit.*

<sup>h)</sup> Quod S. Alphonsus hic docet contra Vivam: iterandam nempe esse eo casu confessionem, alicui forsitan videbitur non satis cohaerere cum ejusdem S. Doctoris dictis, *lib. VI, n. 505*, ubi negat cogendos esse poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet eas fuisse invalidas. Sed praeterquam quod non videtur heic adhibendum juris effatum: *In dubio standum est pro valore actus*; siquidem in casu de quo hic agimus, minime dubitatur an apposita fuerit necne, conditio ad actus valorem requisita; immo certum est defuisse conditionem probabiliter requisitam ad sacramenti valorem. His, inquam, omissis, si adfuerit inter utrumque locum contradictio, praeferenda sane videtur quae in praesenti loco traduntur, et liquet S. Doctorem suam de hac re sententiam

« Porro, implicite credere dicitur, qui « credit aliquid explicite, in quo alterum « implicite est; v. gr. si credas quod credit « Ecclesia. Vide Scholasticos et Lay- « mann <sup>1)</sup> ».

3. - « Resp. II<sup>o</sup>. *Necessitate praeepti*, « quivis fidelis sub mortali explicite cre- « dere et scire, crasso saltem modo, et « quoad substantiam, tenetur haec: 1<sup>o</sup> Sym- « bolum. 2<sup>o</sup>. Orationem dominicam <sup>a)</sup>. « 3<sup>o</sup>. Praecepta Decalogi et Ecclesiae. « 4<sup>o</sup>. Sacramenta maxime necessaria, ut « Baptismum, Eucharistiam et Poeniten- « tiam; reliqua autem tunc, quando vult « suscipere. Suarez <sup>b)</sup>, Sanchez, Filiuc- « cius <sup>c)</sup>. — Quae omnia intellige, nisi im- « potentia aut invincibilis ignorantia ex- « cuset.

« Unde resolvitur:

« 1<sup>o</sup>. Non omnes tenentur sub mortali « haec praedicta scire memoriter, aut eo « ordine, aut iis verbis quibus proponun- « tur; sed quoad Orationem dominicam, « scire omnia bona petenda esse a Deo, « quae est ejus summa: quoad Symbolum « vero, praeepta et Sacramenta, sufficit, « si quis rogatus de singulis, recte respon- « deat. Bonacina, Laymann <sup>d)</sup>, Sanchez <sup>2)</sup> ». [Hoc est conforme ad id, quod tradidit S. Carolus Borromeus in sua Instructione ad confessarios, ubi docuit satis esse, quod

Decal., lib. 2, cap. 3, num. 6 et seqq. - Bonac., disp. 3, de 1<sup>o</sup> Praec. Decal., qu. 2, punct. 2, n. 14. — <sup>2)</sup> Decal., lib. 2, cap. 3, n. 16.

immutasse. Nam quae hic asseruntur de iteranda necessario confessione, in prioribus quinque *Theologiae moralis* editionibus desunt, et primum in 6<sup>a</sup> editione, anno 1767 typis impressa, reperiuntur; dum contra doctrina ex *tract. de Poenitentia* desumpta locum jam obtinuerat in prioribus *Theologiae moralis* editionibus.

3. - <sup>a)</sup> In *Hom. apost., tr. 4, n. 3*, S. Alphonsus addit etiam Salutationem angelicam.

<sup>b)</sup> Suarez, *de Fide, disp. 13, sect. 4, n. 5*, haec utique tenet, omissis praeeptis Ecclesiae; et *n. 12*, de Oratione dominica disputans, negat constare sufficienter de tali praeepto, quamvis probabile sit, inquit, non excusari a culpa saltem veniali, qui propter negligentiam illud ignoraverit.

<sup>c)</sup> Filiuccius, *tr. 22, cap. 2, n. 34 et seq.*, et *n. 51*, haec profecto docet, omittens tamen Ecclesiae praeepta.

<sup>d)</sup> Laymann, *lib. 2, tr. 1, cap. 9, n. 2 et 3*,

Implicite credere, quid.

Credenda necessitate praeepti.

Quomodo scienda sint.

fideles rudes sciant *Credo* saltem in substantia <sup>e)</sup>].

« 2<sup>o</sup>. Quamvis sit praeeptum Ecclesiae discendi memoriter Symbolum, Orationem dominicam et Salutationem angelicam, velitque Barbosa <sup>1)</sup> non esse absolendum, qui ob negligentiam vel verecundiam ea addiscere non curat; consuetudo tamen, ut notat Navarrus « et Lopez, exposuit obligationem non « esse ultra veniale <sup>f)</sup> ». [Ita tenet etiam Viva <sup>2)</sup> cum Azor <sup>g)</sup>, Trullench et Villalobos apud Salmant. <sup>3)</sup>, ex concilio Rhemensi <sup>h)</sup> et Toletano IV <sup>h)</sup>. Vide *Prax. Confess., n. 22*]. « Uti nec est ultra veniale, nescire facere crucem, ut docet Sanchez contra Silvestrum, qui docet « esse mortale.

« 3<sup>o</sup>. Moraliter nihilominus necessarium « est, ut rudiores memoria teneant Symbolum sua lingua: quia alioquin non « possunt habere sufficientem cognitionem « articulorum.

« 4<sup>o</sup>. Falsa est opinio quorundam canonistarum, rusticis esse satis, articulos fidei aliaque dicta credere implicite, credendo quicquid credit Ecclesia.

<sup>1)</sup> De Paroch., part. 1, cap. 15, n. 5. - Navar., Man., cap. 11, n. 22, v. *Septimo*; et (in edit. Venet. 1573) cap. 23, n. 137. - Lud. Lopez, *Instruct. concsc.*, part. 1, cap. 41, v. *Veniale est*. — <sup>2)</sup> In propos. 1 Alexand. VII, n. 9. - Trull., Decal., lib. 1, cap. 1, dub. 3, n. 20. - Villal., part. 2, tr. 1, diff. 4, n. 12. — <sup>3)</sup> Tr. 21, de Praec. Decal., cap. 2, n. 47. -

« 5<sup>o</sup>. Excusantur ii, quibus aut defuit « doctor, aut nunquam venit in mentem « obligatio similia discendi, aut qui nimis « sunt rudes, ita ut non possint ea comprehendere aut retinere: quod saepe contingere docent Azor <sup>i)</sup> et Becanus <sup>j)</sup> contra alios.

« 6<sup>o</sup>. Si confessarius probabiliter iudicet poenitentem ignorare ex doctrina christiana, ea quae scire tenetur (quod de litteratis, vel bene educatis, vel frequenter confitentibus praesumendum non esse monet Sanchez <sup>4)</sup>), debet eum interrogare de negligentia in iis addiscendis: cum per eam plurimi graviter peccent. — Ledesma, Azor <sup>5)</sup>, Trullench <sup>6)</sup>.

« 7<sup>o</sup>. Possunt absolvi (contra quosdam) « qui ignorant ea, quae sub mortali scienda « esse dixi. Ratio est, quia licet peccarint « omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere cum proposito discendi. Sanchez ». [Cum Salmant. <sup>7)</sup> Nisi prius <sup>j)</sup> bis admoniti, neglexerint addiscere]. « Quod « si tamen ignorarent ea, quae necessitate « medii scienda sunt, deberent instrui arte « absolutionem. Bonacina <sup>8)</sup>, Sanchez <sup>9)</sup>.

*Sanch.*, loc. cit., cap. 3, n. 14. - *Silvest.*, v. *Scientia*, § *Secundum*. — <sup>4)</sup> Loc. cit., n. 21. - *Petr. Ledesma*, in 2<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>, tr. 1, de Fide, cap. 3, post 7<sup>am</sup> concl. — <sup>5)</sup> Part. 1, lib. 8, cap. 8, qu. ult. — <sup>6)</sup> Loc. cit., dub. 4, n. 6. - *Sanch.*, Decal., lib. 2, cap. 3, n. 21. — <sup>7)</sup> Tr. 21, cap. 2, n. 60. — <sup>8)</sup> Disp. 3, de 1<sup>o</sup> Praec. Decal., qu. 2, punct. 2, n. 16. — <sup>9)</sup> Loc. cit., n. 22 et 23.

haec clare significat, dicens scienda et credenda esse saltem secundum substantiam.

<sup>e)</sup> Verba S. Caroli, *Act. Mediolan., part. 4, Instruct. poenit.*, v. *At vero omnino*, haec sunt: « Atvero omnino perquirat [confessarius], si rudes quidam homines, ad confessionem accedentes, fidei articulos ignorent, et si opus esse viderit, eos doceat, ita ut explicite eos et intelligenter sciant, non autem quasi recitantes tantum ».

<sup>f)</sup> Rectius et clarius dicendum est cum AA. citatis: Praeeptum discendi illa memoriter, ex consuetudine ortum esse, quae tamen non obligat ultra veniale.

<sup>g)</sup> Azor, quamvis non disertis verbis sic teneat, idem tamen clare significat. Affert enim *part. 1, lib. 8, cap. 7, qu. 5*, Navarri sententiam, quod scilicet praeeptum illud non obligat nisi ad veniale; postea vero eorum opinioniones, qui solum dicunt adesse praeeptum, non determinantes an grave sit necne, et concludit: « Attamen negare non possumus eos auctores postea seipsos explicuisse, dum ad-

dunt sufficere quidem, si haec omnia sciuntur, licet non memoria teneantur: sufficere item, si quis rogatus de singulis credendis et agendis, noverit ad interrogata respondere ».

<sup>h)</sup> Concilium Rhemense II, anno 813 celebratum, vult *canone 2*, omnes christianos Orationem dominicam scire. Ap. Labbe, tom. 9, col. 342. Pariter concilium Toletanum IV, anno 633, praecipit *capit. 10*, ut a sacerdotibus vel a clericis subjacentibus Oratio dominica quotidie recitetur. Ap. Labbe, tom. 6, col. 1454.

<sup>i)</sup> Azor, *part. 1, lib. 8, cap. 8, qu. ult.*, tenet quidem ea quae hic a Busenb. traduntur; sed non affirmat id saepe contingere; sicut nec Becanus, *de Virtut. theol., cap. 12, n. 14*, qui dicit solum excusari rudiores, qui non possunt omnes et singulos Symboli articulos in particulari capere vel addiscere.

<sup>j)</sup> Scilicet, ut dicunt Salmant.: « Si bis aut ter » admoniti de obligatione illa mysteria addiscendi, adhuc negligent et ignorent, differenda est absolutio, donec praedicta sciunt.

Quinam excusentur.

Confessarius quando interrogare debeat.

Quinam ignorantes possint absolvi.

Juxta alios, confessio facta cum ignorantia mysteriorum, non repetenda.

Opinio ista non probatur auctori.

Obligatio  
parochi.

« 8°. Parochus suas oves (sicut parens  
« liberis) tenetur sub mortali, per se vel  
« alium, docere ea saltem quae sub mor-  
« tali scire tenentur. — Sanchez <sup>1</sup>, Fil-  
« liucci, Palau, Trullench <sup>2</sup>, Coninck ».

Objectum  
materiale fi-  
dei.

4. - Notandum, quod objectum *mate-  
riale* fidei (nimirum id quod credere te-  
nemur) principaliter est ipse Deus, et  
deinde omnia a Deo revelata. Ita S. Tho-  
mas <sup>3</sup>, dicens: *Fides, quae hominem divi-  
nae cognitioni coniungit per assensum,  
ipsum Deum habet sicut principale obje-  
ctum; alia vero..., sicut consequenter adjun-  
cta.* — Objectum autem *formale* (id est  
motivum, propter quod revelata credere  
tenemur) est Dei veracitas.

Objectum  
formale.

Disceptatur autem inter scholasticos:  
*an revelatio divina sit etiam objectum  
formale fidei?*

Pro sententia affirmativa sunt Jueni-  
nus et alii, qui dicunt, veracitatem Dei  
esse objectum formale *quod*, nempe ra-  
tionem praecipuam ob quam credimus;  
revelationem vero esse objectum formale  
*quo*, hoc est medium quo credimus. —  
Sed communior sententia Haberti, card.  
Gotti, et Holzmanni cum Scoto, etc., do-  
cet, totale objectum formale fidei esse  
veracitatem Dei, et revelationem esse tan-  
tum conditionem, sine qua non crede-  
remus, sive medium per quod nobis ap-  
plicatur notitia eorum quae credimus.

<sup>1</sup> Loc. cit., n. 15. - *Fili.*, tr. 22, n. 47. - *Pal.*, tr. 4,  
disp. 1, punct. 11, n. 2. — <sup>2</sup> *Decal.*, lib. 1, cap. 1, dub. 4,  
n. 7. - *Coninck*, de Fide, disp. 14, dub. 10, n. 195. — <sup>3</sup> *De*  
*Verit.*, qu. 14, art. 8, corp. - *Juenin.*, Instit. theol., part. 7,

diss. 4, qu. 1, cap. 3, § 1. - *Habert.*, de Fide, cap. 1, § 2,  
v. *Dicitur* 4. - *Gotti*, tr. 9, de Fide, qu. 1, dub. 1, § 1,  
n. 2, 3 et 5. - *Holzm.*, de Virtut. theol., n. 12 et 14. - *Scotus*,  
in 3, dist. 23, qu. unic., n. 6 et 11.